



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Floremundi Raemundi V. Cl. Olim Consiliarii Regis
Galliarvm Ex Calviniano Catholici Synopsis Omnium hujus
temporis Controversiarum tam inter Lutheranos,
Calvinistas quam alios plurimos. Sive Historia ...**

Raemond, Florimond de

Coloniae Agrippinae, 1655

caput decimum septimum. Haereseon quaedam figurae, ex Apocalypsi
petitae.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10880

Item, qui ipse est Christus, eleuetur. Nolo confundi his ineptiis immorari: non possum tamen non mirari extremam eorum amentiam qui tam absurdis, non dicam SS. litterarum Doctores, sed ne homine quidem dignis, opinionibus assentiuntur. O cœcas hominum mentes, ô pectora cœca! O miram diaboli astutiam, & quiduis suis persuadendi artem! Contra nobilem hunc Doctorem, cuius secta post mortem Lutheri præcipue inualuit, circa Annum MDLIV. Lutherani quamuis diuersarum factionum Naumburgi synodum celebrarunt, cui interfuerunt Amsdorffius, Ionas, Pomeranus, Cruciger, Melancthon, Coruinus, Bucerus, & alij: ac post multam disceptationem ac diffensionem, Schuuenckfeldianorum sectam cõcondemnarunt, ac præcipue errores duobus libris Schuuenckfeldij *De duplici statu Christi, & De vero Euangelij usu*, comprehensos.

IX. Schuuenckfeldianorum sectæ affinis est illa quæ *Spiritualium* dicitur, qui & ipsi Scripturam nihil ferè faciunt. Vt enim Schuuenckfeldius passim, ac præcipue in libello *Valere* inscripto, docet, scripturam duos habere sensus, vnum literalem, qui sit in utroque; alterum mysticum & spirituale, ad quem sola à Deo rapta anima penetrare possit: sic Spirituales solis sibi veram rerum ad religionem pertinentium cognitionem datam esse asserunt. nec opus esse Sacramentis aut vllis alijs subsidijs quam deuota meditatione Saluatorem in Cruce verbis illis *Consummatum est*, pronuntiatis, satis ostendisse; omnia ad salutem peracta, nec vllò amplius opus esse sacrificio, lege, aut Sacramento. Sed & ex his eisdem vltimis Saluatoris nostri verbis, omnes noui isti Euangelici omnium ceremoniarum & sacrificiorum abolitionem euincere ac probare conantur, non considerantes, Dominum & Saluatorem nostrum illis verbis tantum ostendere voluisse, opus Redemtionis nostræ iam à se esse perfectum ac consummatum; & veteri Legi finem impostum; ac verus illud sacerdotale officium in longe excellentius esse commutatum, vt Sanctus Paulus in Epistola ad Hebræos testatur.

Omitto plures minorum gentium, vt ita dicam, hæreticos: quorum memoriam & doctrinam silentio obrui quam posteris tradi satis est. Quot quot vero exstiterunt, à Luthero omnes progressi sunt: qui primus enses gigantibus his ad cœlum oppugnandum, vel potius, tamquam alter Bepus Troianum illum equum, è quo tot arma totum cohortes ad euertendam Ecclesiam prodierunt,

fabricauit. O cœli opprobrium, ac terræ odium, hæretici! qui omnes nulla in re nisi in pessumdanda Ecclesia conspiratis. Sed agite prout lubet, omnes vestras vires contra eam conuertite: stabit illa nihilominus, & tamquam firmissima incus, v estros omnes ictus respuet atque eludet. Cyclopas hos & gigantes infernalis Vulcani ministros, (quorum omnem vim Ecclesia non minus fortiter quam rupes fluctuum impetum excipit ac frangit) merito dixerimus: videamus tamen an *ijdem locusta ille sint, quarum in Apocalypsi ex ore infernalis putei egressarum sit mentio.*

HAERESION QVAEDAM FIGV.

IA, ex Apocalypsi petita.

CAPVT XVII.

ARGVMENTVM.

- I. *Quæ sit stella illa in Apocalypsi è cœlo delapsa.*
- II. *Ante Lutheri aduentum Fides fuit vniformis.*
- III. *Quid significet fumus qui aerem obscurauit.*
- IV. *Quæ sit turba illa locustarum.*
- V. *Modus quo locusta progressæ sunt.*
- VI. *Regem non habent visibilem hæretici vs Locusta sed inuisibilem.*

Multitudinem illam hætenus confuso quodam ordine à nobis repræsentatam sectarum multitudinem non sine stupore intuenti, illud D. Ioannis de locustis ex abyssi puteo egressis vaticinium (a) itemque alia nonnulla ibidem prodita, impleta videntur. Per stellam illam è cœlo delapsam quid aliud intelligas quam Lutherum Monachum, hominem è terra quasi ad cœlum eleuatum, puritate & splendore quodam Ecclesiastici ordinis coruscantem primò, deinde vero Mundi huius cœno immersum, in cœstuosis innexam nuptijs, & in carnis & sanguinis voluptatibus sese volutantem, (b) qui vt prius Dei amore parentes, & fortunatarum ac dignitatum spem omnem à se abdicarat: sic eandem rerum spe ac dignitate, omnem rursus pietatem ac religionem abiecit ac proculcauit. Et sic: à Saluatore nostro D. Petro Apostolo cœlorum clauis data sunt; sic ei qui per stellam hanc designatur, à Sathana clauis infernalis putei tradita à S. Ioanne scribitur: è quo aperto, fumus tamquam ex magna foenace exierit, solemque obscurauit.

Bb 2 II. Ante

a Vide Bellar. in Resp. ns contra Chytraum: & P. Cotton. in Apologia. b Apocal. 9.

II. Ante stellæ huius casum omnes ad Occidentem regiones, adeoque vniuersa Latina Ecclesia vnam religionem colebat. Eadem erat vbique fides, eadem sacramenta, eadem ieiunia, iidem dies festi, eadem cæremonia, idem cultus. Nondum erat vllum contra prisca illa altare erectum. Vnum ab omnibus sacrificium quotidie frequentabatur, vnus Pastor, summus Pontifex, vnum ouile eiusdem matris lacte educatum agnoscebatur. vt libro primo cap prioribus ostendi. Postquam vero stellæ illius de cælo Lutheri ex Ecclesia Catholica casus accidit, & puteus inferni per eum apertus fuit, siue per *clauem Gradus Doctoralis* In Theologia Lutheri per Academiam Wittebergensem concessam, & à Carolstadio promotore eius ipsi traditâ; siue per Staupitium Prouincialem Augustiniani ordinis concessam contra Indulgentias à Dominicanis promulgatas An. 1517. prædicandi & scribendi licentiam, siue per *suggestionem* ambitionis & inuidiæ à dæmonio inspiratæ, seu quouis alio modo inordinato datam facultatem ab authore non habente legitimam auctoritatem tam densus hærescon, schismatum & sectarum fumus omnia ita obscurauit, vt non dicam vna in prouincia aut vna vrbe, sed in eadem domo vicini, amici ac cognati sese internoscere non potuerint vt libro 2. satis demonstrasi. Vide hic, quæso, quam mirabiliter Deus amicos, & Israelitas ab Ægyptijs separauit. Nos enim qui Dei gratia fumum istum infernalem euasimus. Catholicos omnes non in Hispania tantum, Italia, Anglia, Gallia, verum etiam alio sub sole iacentibus & obuersis climati nostro regionibus pro fratribus agnoscimus & habemus; at miseri illi Septentrionales populi, quorum terras plusquam Ægyptiæ tenebræ occupant, in eadem domo, vt diximus, vix sese internoscunt.

III. Tam solem quam aërem è fumo hoc obscuratum Apocalypsis loc. citato testatur. Per solem Christum D.N. intelligi tam Catholici quam hæretici aiunt interpretes, vt qui de se ipso dicat: *Ego sum lux mundi* (a). Per aërem vero verbum diuinum intelligendum est, per quod viuimus veluti & spiramus. An vero vniquam sol hic iustitiæ magis fuit obtenebratus, quam quum nigri illi & palpabiles errores ingruerunt? nimirum doceri cepit per Lutheri progeniem; *Christum Iesum Deum non esse, non esse adorandum, de salute eum suadesperasse, poenam damnatorum tulisse, &c.* Quam

multis vero tenebris iidem Verbum Dei inuoluerunt! primò Traditione acceptum Verbum Dei abrogarunt, & sola Scriptura propagatum reliquerunt. deinde sacram Scripturam relictam quâ horribilibus non tenebris inuoluerunt? quâ multis contrarijs expositionibus eandem obscurarunt? Omni enim verbo non scripto, ab hæreticis reiecto ac proculcato, Deus bone, quot interpretationes contrarias, quot Commentarios sibi inuicem repugnantes, quot toto cõo distantes sententias natas vidimus! & quidem ijs de rebus quæ olim quum Ecclesiæ ad lucem starent iudicio, nihil omnino habebant dubitationis. Vel sola illa quatuor verba, *Hoc est Corpus meum*; quibus olim nihil erat lucidius, iam Sibyllæ folijs & quouis ænigmatate obscuriora videntur, vt ad ea explicanda Delio natatore, vt Socrates apud Platonem loquitur, opus sit.

IV. *Locustas illas ex infernalis putei ore egressas* quas S. Ioannes commemorat, perspicue videmus indicari Prædicantes Lutheranos, & qui ab his doctri manum & cerebrum apposuerunt ad Biblia sine auctoritate legitima, nam Locusta est animal ventricosum adeo, vt præter ventrem vix quidquam habeat: & quamuis alas habeat, volare tamen vix potest; sed vbi parum sese in altum dedit, statim ad terram, ventris pondere depressum, relabitur. Similes plane his sunt hæretici nostri ventri tori addicti; ieiunij omnisque continentiæ hostes. *Hic venter Deus est*, vt Tertullianus ait, *focus altaris, cocus sacerdos; quorum fides in culina calet, charitas in libere bullit, & spes omnis in casino & disco posita est*; quibus illi rebus impediti, per viam mandatorum Domini gradi, aut contemplationis alis animum eleuare nequeunt, sed quamprimum erigere aliquantulum se conantur; statim locustarum more, in terram vel potius è cælo ad infernum, Fidei omnia, bonis operibus nihil tribuentes, relabuntur. Locustæ etiam ducem nullum habent, sed turmatim huc illuc circumvolitant; vt sapientissimus quoque Rex notauit. Sic hæretici ducem nullum aut caput cui obediunt, agnoscunt. Superbiores enim sunt quam vt cuiusquam ferant imperium: nec quidquam in Catholicis magis reprehendunt quam quod omnes vni obedire sustinent. Locustæ quoque mirum in modum fecunda sunt ac breui longe lateque omnia obsident. Eodem modo hæretici

a Ioan. 8. 3.

cito admodum crescunt ac multiplicantur, sicut paucis annis ingentem hæreticorum, ad instar fungorum vna nocte euatorum, productam copiam vidimus.

V. *Locusta hæ dicuntur à S. Ioanne exisse in terram. & datam illis esse potestatem sicuti potestatem habent Scorpiones terræ. Quid verò est aliud exisse, quam prædicantes sponte sua, non vocatos à Deo, vt Aaron, nec missos, vt Apostoli, officium docendi, & populum seducendi, in suas partes, occipisse: ideo enim & Iudas exiisse narratur, qui ad sui arbitrij placita se conferebat; & falsi Prophetæ sic exierunt, qui currebant Deo conquerente, & ego non missebam eos, loquebantur & non mandauit. Hic exitus prædicantium ex arbitrio suo, sine legitima vocatione Dei vel sedis Apostolicæ, est adeo perspicuus character locustarum, vt nemo hætenus prædicantium repertus sit, qui eius rationem dare pro se potuerit, sed omnino ibi conticuere omnes. Potro potestas scorpionum non est obscura, nempe cauda venenum infligere. Hoc qui ignorat à Nouis Euangelicis, maximis illis Consolatoribus, & Paracletis, ingeri, legat peruideatque singulorum Hæresiarcharum Vitam ac Historiam, maxime Lutheri, & potestatem scorpionum in eo clare tenebit. Hinc *Vultus humanus* quem S. Ioannes locustis tribuit, initium denotat hæreticarum concionum, quæ blandæ sunt & singularem pietatis ac sanctitatis speciem præ se ferunt, nihil hic audias nisi Christum, nisi æternum Deum, nisi Dominum & Salvatorem nostrum. At, at Scorpionis cauda fructus hæreseos significat venenatos & pestiferos, tristemque exitum: vt quæ Dei verbum falsis interpretationibus corrumpit, & ad varios defendendos errores detorquet; adeoque cauda sua venenata ictos auditorum animos, lethali insicit veneno sic ut ad odia, rebelliones, bella & crudelitates infandas perducantur.*

Per coronas in locustarum capitibus arrogantiæ & superbia hæreseos designatur. Similes auro sunt: quia hæretici splendidos sibi sumunt titulos vt qui Euangelistæ, Prophetæ, secundi Eliæ, Enochi, Mundi denique Reformatores & nescio quomodo non à complicibus suis vocantur. Ferrea lorica obstinationem eorum & pertinaciam significat, vt qui victi etiam pro victoribus segezant. Hæresidem enim proprium est rumpere potius omnia quam flecti. Similitudo equorum pa-

ratorum in prælium, audaciam eorum & temeritatem denotat, qua nec Goliatho nec vllis terræ filijs cedant. Per currus equorum volantium celestas significatur, qua hæreses in diuersis ad Septentriones regionibus propagatæ sunt. Omitto plures acutioreque singulorum symbolorum in locustis expressorum expositionem, quam Interpretibus scripturæ vel alteri loco referuo, inter quæ est fœnum terræ & viride & arbores quæ Locustæ illæ lædere non potuerunt. Ad hæc menses quinque, quibus cruciabunt eos quos subigere non potuerunt, & similitudo equorum & capillorum muliebrum, & dentium Leoniorum.

VI. Solum id adhuc addam quod *Locusta illa habent super se Regem inuisibilem, nempe angelum abyssi*, cui etiam inuiri parere coguntur. Hic idem est quem Iobus Regem appellat filiorum superbiæ & qui Luthero apparuit in arce Wartbergeni Exterminator Sacrificij & Sacerdotij in Lege Noua. Et bene ei Nomen est, *exterminans*: eo quod vna cum locustis nihil magis quam exterminare Ecclesiam omniaque perdere conetur. Ascende in cœlum, obi terrarum orbem, descende in Infernum, iustra Purgatorium; nihil omnino occurrerit quod non hæresis iouerit. Hæc Trinitatem oppugnauit; hæc Christum tam humana, quam diuina natura spoliare, hæc eundem cœlo includere, hæc Sanctis beatitudinem, angelis omnem venerationem, Ecclesiæ Sacramenta auferre: hæc eadem sacerdotium, sacrificia, Vota, ieiunia, dies Festos, Altaria, Cruces, Reliquias, omnia denique pietatis ac religionis signa atque ornamenta auferre & abolere aggressa est. Sic igitur multo meliori ratione varicinium hæc Apocalypiticum B. Ioannis, de stella è Cœlo lapsa, & aperiente puteum abyssi & c. Luthero eiusque complicibus accommodari potest, quam B. Gregorio Papæ tam re quam cognomento Magno, ad quem illud ipsimet hæretici detorquere conati sunt, veluti Chytraeus, qui inspicere nullam habens vel ex tempore vel ex conditione hominis, vel alia re analogiam, inculcare contendit, *Stellam illam è calo delapsam, Papam esse Gregorium, qui pro Paradisi, quas habebat clauibus, abyssi, id est, Inferni clauis arripuerit. Fœnum putei, doctrina Papistica esse contradictionem, locustas Monachos esse & sacerdotes, quorum sin-*

singularis ille fuerit protector. Sed hæc ego pluribus hoc loco ventilare nolo, utpote in Antichristo meo satis superque discussa qui si quibusdam forte ignotus sit, is vel ex his paucis Chytræi delirantis nœtas animadvertere. 1. quod Beatus Gregorius de nullo statu Ecclesiastico decidit, sed per minora Ecclesiæ officia & Gradus euectus ad supremum apicem in eo permanens constantissime, obierit: Lutherus contra ascriptus in ordinem & Doctorem Theologiæ & ab ordine suo in sæcularem vitam & à Theologia Veteri desciverit in novam à se excogitatum. Secundo quod Beatus Gregorius claves habuerit, ipso adversario confitente, nempe Scientiæ, & Jurisdictionis Lutherus autem clavem Solius Scientiæ, sine omni Jurisdictione. Tertio quod Beatus Gregorius claves quas semel acceperat, non mutaverit, Lutherus vero quod acceperat traditum mutaverit, ut ex utriusque vita & actis collatis elucet. 4. Quod Fumus nullus ex S. Gregorij doctrina vel actus secutus sit, quo obscuratus sit splendor gloriæ Christi vel Ecclesiæ, quia per illum etiam Anglia ad Fidem Christi accessit. At per Lutherum ut ex 100 hæresibus ex eo natis supraliquet & gloria Christi per septentrionem amminuta est & Ecclesia excisa. Locustas vero esse monachos & sacerdotes, id pro ea parte, qua illi uti Lutherus, Calvinusque, Zyvingliusque defecerunt ab ordine suo verum dicit Chytræus, qua vero parte Monachi & sacerdotes propositum Fidei & professionis suæ tenuerunt, non Locustæ sane fuerunt sed meliores in agro Domini, è quo manipulos Gentium, ex Anglia, Scotia, Indiaque tota, in horreum Domini, ad stuporem comportarunt. Quod vero hunc, omnium qui post Apostolos fuerunt maximum & sanctissimum Pontificem hæretici venenatis calumniarum telis porissimum impetant, causa est quod ordo & ceremoniæ Ecclesiasticæ, quæ Italia à Gothis & Vandalis vastata, non nihil labefactatæ fuerant, ab eo sint restauratæ. Ea enim tempestate nostris temporibus simillima, omnes libri Ecclesiastici quos nãcile illi poterant, ab hæreticis combusti, & altaria destructa erant & in pulverem redacta: quæ omnia optimus & sanctissimus ille Pontifex restauravit, atque Ecclesiam pristino nitore restituit, fidemque longe in Insulas propagavit, gentiles convertit: Ipsi Centuriatores (a) fatentur, ab hoc divini Verbi doctrinam, adeoque ipsam

Christianitatem, qua hæresi iam manus datura videbatur, fuisse conservatam. Tanta scilicet tamque admitabilis veritatis vis est, ut vel ab iavitis, quam cupit, confessionem extorqueat.

QUOMODO QUISQUE NOVAM
sibi religionem fabricare instituerit:
& quam miseris modis Catholicis oppressi sint
& decepti.

CAPITULUM XVIII.

ARGUMENTUM.

- I. Lutherus tantam novorum Doctorum multitudinem à schola sua progressam videns, stupore defixus.
- II. Unusquisque novæ sectæ vult haberi auctor.
- III. Laici Concilia indicunt.
- IV. Quarela Centuriatorum de magistratu populari.
- V. Quomodo primi Lutherani Catholicos aggressi sint.
- VI. Maior pars Catholicorum tum male instructa ad refutandos adversarios.

LUTHERUS tot novas quotidie emergentes opiniones, tot novas sectas nascentes, & Sacramentariorum præsertim sectam mirum in modum auctam, ac quotidie à sua schola Novum Novæ Doctrinæ Auctorem prodeuntem videns, valde animo angebatur, immoderatus rebus suis pæne desperare incipiebat. Præter enim eas sectas quas veluti digito supra indicavimus, una ipsius propriissima secta triginta quatuor diversis opinionibus erat distracta & velut Triginta capitum fetus enixa incebat, ut Bredebachius scribit vel ut alij multo plures, nempe ducenta, quæ singulæ suos habuerunt assertores atque asseclas. Siquidem Nonaginta solum hæreses reperit D. Augustinus à Christi tempore ad tuam ætatem, annis 400, & Nicolaus

a Cens. 6. cap. 10. pag. 979. & 680.